



825bv

1722, 17^a

13

4

M

41

(4)

DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA
DE EO
QUOD JUSTUM EST
CIRCARENQUATIONEM INQUESTI-
TURÆ, IN CASU, QUO DOMINUS FEUDI
PLURIBUS RELICTIS SUCCESSORIBUS
DECESSIT,

QUAM
OPITULANTE DEO TER OPTIMO MAXIMO,
MAGNIFICO UNIVERSITATIS RECTORE,
REVERENDISSIMO ET PERILLUSTRI DOMINO,
DOMINO

JO. JOACHIMO HAHN,

EPISCOPO METELLOPOLITANO,

Eminentissimi Archi-Episcopi & Principis Electoris Moguntini per Thuringiam, Hasiam &
Eichsfeldiam in Pontificalibus Vicario Generali, Ejusdemque Archi-Episcopalis Curia
Pro-Vicario Generali, SS. Theologiae & Juris Vrbiusque Doctore, Protonotario Apostolico,
Comite Palatino, Insignium Ecclesiarum Collegiarum ad Gradus B. M. V. & ad S. Joannem
Moguntiae respective Scholastico, Canonico Capitulari, & reliq.

CONSENSU AMPLISSIMI JCOTORUM ORDINIS
IN PERANTIQUE HIERANA
PRO LICENTIA

SUMMOS IN VTROQUE JURE HONORES ET
PRIULEGIA DOCTORALIA RITE CAPESSENDI

PLACIDÆ ERUDITORUM DISQVISITIONI
IN AUDITORIO COLLEGII MAJORIS, HORIS CONSuetis
SUBMITTIT


HIERON. FRIEDER. SCHORCH,


Erfordens.

Civitatis hujatis Senator, & Reu. Ministerii Evangel. Affecto.
DIE XXVIII. MAJ. ANN. M. DCC. XXII.

ERFORDIAE, Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.







DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA
DE EO,
QUOD JUSTUM EST CIRCA RENOUATIONEM
INVESTITURÆ, IN CASU, QUO DOMINUS FEUDI
PLURIBUS RELICTIS SUCCESSORIBUS
DECESSIT.

§. I.



Ominia rerum legitime acquisitaram naturaliter sola domini promissione ac voluntate signis quibuscumque habilibus sufficienter declarata, etiam citra Traditionem, in alios acceptantes transire posse, certissimum & in primis ab HUBERO in *Digress. P. 1. l. 4. c. 8.* luculenter demonstratum est. Quemadmodum vero jus positivum saepissime a simplicitate juris naturæ recedit, eique prout ratio reipublicæ aut subditorum malitia postulare videtur, aliquid addit vel detrahit: ita etiam, quod ad dominiorum translationem attinet, leges civiles non modo Romanorum sed & aliarum gentium satis prouide disposuerunt, ut illa regulariter nudo transfe-

A 2

rentis

rentis & acquirentis consensu haudquaquam perfici,
 sed præterea quoque Traditio, tanquam euidentissi-
 mum seriae voluntatis indicium, præcise adhiberi de-
 beat v. L. 20. C. de Pact. LEG. LONGOB. L. 2. t. 1. c. 5.
DECIS. SAX. 61. Cum vero non semper vera & corpo-
 ralis traditio statim post initam conuentionem fieri
 commode possit: inde porro vsus rerum hominum-
 que symbolicam seu imaginariam Traditionem in-
 uexit, eaque non minus, quam vera & naturali, domi-
 nia propagari, legislatoria prudentia permisit. v. L.
i. C. de Donat. L. 1. §. pen. de A. vel A. P. L. 74. de C.
E. V. HUBER. in Præl. ad Inst. de R. D. n. 57. Atque
 hæc traditionis species etiam Veteribus Germaniæ
 Populis non incognita fuit, siquidem de Francis con-
 stat, quod dormicia rerum per festucam in alterius
 laisum i. e. sinum, projectam transferre consuerint,
 eumque tradendi modum Affatomiam appellauerint.
v. LEX SALIC. Tit. 48 apud GOLDAST. Tom. III.
Const. Imp. f. 13. Du FRESNE Glossar. v. Affatomia.
 Et v. Festuca, quo & referenda est hodienum in Gel-
 dria & alibi frequens Effestucatio, de qua conf. B.
STRYK. in V. M. ff. de A. R. D. f. 36. HERT. de Con-
 uent. Domin. Translat. §. 15. inf. ubi ex FEITMANNO
 refert, Cliuis traditionem adhuc hodie fieri solere
 mit Hand, Halm und gichtigen Munde, i. e. manu, festu-
 ca & confiente ore. Nec minus Danorum Scotatio
 huic pertinet, cuius mentio fit in c. 2. x. de Consuet.
 comp. STRAUCH. Amoen. I. Canon. Ecclog. 3 c. 4. p. 75.
 76. Prae cæteris vero heic commemorari debet Fran-
 cis, Saxonibus & Alemannis jam olim vñtata inuesti-
 tura,

tura, quæ primum in traditione rerum corporalium,
ac dehinc in variorum jurium concessione vel con-
firmatione ab antiquissimis temporibus fuit adhibi-
ta.

S. II.

Instituti nostri ratio non patitur, ut vel in inda-
ganda vocis Inuestituræ origine, vel in recensendis
ejusdem diuersis speciebus prolixis verbis commore-
mur. Ex ipsa Dissertationis inscriptione confessimi
patescit, nobis jam sermonem esse de Inuestitura,
quæ in constitutione feudorum potissimum usurpatur,
& hinc cum adjecto *feudalis* communiter dici solet.
Quia vero hæc inuestitura feudalismus rursus variè ac-
cipitur, dum aliquando designat a) instrumentum su-
per Inuestituræ actu memoriae causa confectum: quo
sensu tenorem Inuestituræ ante omnia inspiciendum
& ex eo feudi naturam dijudicandam esse præcipitur.
v. II. F. 18. in f. II. F. 2. §. 2. interdum b) ipsum feu-
di possessionem. u. F. 2. ibi. *Inuestitura* propriæ dicitur
possessio. quæ locutio neutram pro figurata habenda
est. conf. EYBEN. *Elet. Jur. Feud.* c. 5. §. 6. non-
nunquam etiam c) solennem actum, ad feudi jus
constituendum & velut in esse producendum, spectan-
tem. Germ. die *Belehnung*. illud monuisse sufficiat,
postremum significatum hoc loco potissimum atten-
endum esse. Atque in hoc sensu definiri potest
Inuestitura, quod sit *actus*, quo *Dominus Vasallum ad*
fidem & seruitia sibi obstringit, eidemque *jus & rem*
feudalem legitime ac solenniter confert. v. TITII *Jus Priv.*
L. XI. c. 5. §. 3.

A 3

§. III.

Ex jam data definitione facile colligitur, omnem omnino inuestitaram duabus velut partibus essentia-libus constare 1.) actu quodam consensuali reciproco, quo dominus Vasallum sibi ad fidem & seruitia obli-gat, vno nomine, Contractu Feudali , ac 2.) dominii utilis aliisque juris realis in Vasallum translatione. Cum enim feudum sine inuestitura nullo modo constitui posse dicatur. *L. F. 25.* Feudi vero essentia in eo con-fistat, vt dominium utile aliudue jus sub lege fidelita-tis præstandæ alicui concedatur : Inde vltro fluit, in-uestitura nomine ejusmodi negotium indigitari, quo non solum Vasallus ad fidem domino exhibendam ob-stringitur, quod sit per contractus feudalis celebratio-nem , sed etiam feudale dominium vel simile jus Va-sallo actualiter tribuitur : quo fine in inuestiture so-lennia quædam symbola ac signa adhibentur, vt eu-identer constet, dominum nunc reuera jus, quod in pro-missionem erat deductum, in fidelem suum trans-fudisse.

Quemadmodum vero *naturalis & corporalis* rei possesio , ejusdemue translatio ad feudum , quæ tale constituendum nihil omnino confert, quippe quæ non magis aliquid cum jure feudistico commune habere potest , quam cum proprietate in genere habere dici-tur in *L. 12. §. 1. & L. 52. f. de A. vel A. P.* ita eam nec ad inuestitaram , quatenus juris feudalis propria & proxima causa efficiens est, pertinere vterius con-sequitur. Quæ etiam ratio est, quare illa in tot texti-bus

bus Juris Feudalis ab inuestitura sollicite distinguatur.
 v. I. F. 4 pr. I. F. 5. II. F. 7. inf. II. F. 26. n. 5. §. si fada.
 & ad jus feudi producendum iis etiam casibus adhuc
 interuenire debeat , si quis rei in feudum conceden-
 dæ possessionem aliunde jam tum legitime nactus est,
 prout multis, iisque illustribus exemplis potest com-
 probari, v. INSTR. P. WESTPHAL. art. X. §. 14. &
 art. XV. §. 2. ELECT. I. PUBL. 7. X. p. 99. seq. add.
 CRAG. Jus Feud. L. 2. t. 2. §. 3. p. 243. seq. RHET. in I.
 F. 3. p. 161. n. 4. Quodsi tamen naturalis poslesionis
 translatio inuestituræ præterea accedit , quod fieri
 posse haut negamus : tunc illa magis ut accidens spe-
 cunda, non autem pro hujus parte essentiali habenda
 erit. EYBEN. El. J. Feudal. c. 5. §. 7.

§. V.

Atque ex his , quæ de inuestituræ indole gene-
 ratim consignauimus, dilucide patet I) non satis accu-
 rate inuestitram a DD. communiter in *propriam*, qua
 vera & realis feudi possesio in Vasallum simul trans-
 ducatur , & *impropriam seu abusivam*, qua feudi posses-
 sio symbolis quibusdam porrectis & apprehensis so-
 lum repræsentetur, dilpecsi. Etenim cum corporalis
 possesionis translatio ad inuestitram in eo, qui heic
 supponi debet , sensu acceptam *juxta §. preced.* plane
 non pertineat: non appareat sane, quomodo distinctio
 rei peti queat ex eo , quod cum re nihil commune
 habet , aut quomodo ex eo diverse rei species statui
 possint, vti haec tenus recte arguit VULTEJUS de Feud.
 l. t. c. 7. n. 11. add. EYBEN. cit. C. 5. §. 6. seq. RHET.
 in I. F. 3. p. 162. n. 8. II. Falsam esse communem eorum
 senten-

sententiam, qui abusuum, quam vocant, inuestituram
jus aliquod reale producere negant. v. STRUV. *Synt.*
Jur. feud. c. 8. §. 9. Enim uero vitiosa admodum illa-
tio est, si quis exinde, quod corporalis rei possessio-
nendum in alterum translata sit, nullum plane jus rea-
le in eundem transisse concludat; & nisi haec quoque
inuestitura jus reale operaretur, nullus propemo-
dum ejus esset effectus, cum Vasallus ex sola promis-
sione jus personale iam habeat. v. SCHILTER. *Cod.*
Jur. Alemann. feud. c. 4. §. 2. & de inuestit. simult. Princ.
Imp. c. 1. §. 3. 4. HORN. Jurispr. Feud. c. 12. §. 4. 5. Ar-
gumentis STRUVII vero abunde satisfecit EYBEN.
cit. c. 5. §. 8. in fin.

§. VI.

Sicuti autem ad feudi constitutionem inuestitura
præcise requiritur: ita conseruando juri feudali neces-
se est, ut illa certis in casibus renouetur seu repeta-
tur. Eo collimat Feudista, quando II. F. 3. pr. ait: *In-*
uestituram aut fieri de Veteri beneficio aut de nouo. Add.
II. F. 32. circa f. & II. F. 91. Haec renouatio inuestitu-
ræ nihil aliud est, quam *aëtus*, quo certis in casibus &
plerumque mutato Domino vel Vasallo feudum de nouo con-
ceditur, vel potius (si jus hodiernum spectes) tantum
confirmatur. Origo ejus à prima feudorum indole
citra dubium arcessenda est. Cum enim olim feudo-
rum possessio solum precaria esset, vel saltem nullain
iis successio locum haberet juxta i. F. 1. §. 1. add. *Dn.*
THOMAS. Orig. Feud. §. 16. p. 86. sq. ideo nouus Va-
sallus renouationem inuestituræ petere & successu
temporis eandem etiam Vasallus à nouo Domino im-
 impe-

petrare tenebatur. Posteaquam igitur feuda per successionem acquiri & in heredes transmitti coeperunt: supervacaneum videri posset, inuestituræ instauratiōnem tam anxiè quærere, ac feudum à Domino petere, quod quis secundum juris feud. dispositionem legitima successione jam tum accepit. Planè de feudis Silesiæ refert SCHIKFVSIVS, plerorumque eam esse rationem, vt neque heredes vasalli à Domino, neque Vasallus ab herede Domini renovationem feudi petere aut accipere cogatur, v. Dn. LVDEWIG. de Prorogat. Inuest. in App. sub lit. A. In plerisque tamen locis ritus inuestituræ certis in casibus renouanda ob rationes, quas sequ. §. indicabimus, remansit, adeò vt Vasallus renovationem istam vltro, non expectata citatione à Domino petere debeat, & quidem, sub pena amissionis feudi, intra annum & diem, ab eo tempore, quo casum inuestituræ iterandæ euenisse, resciuit, computandum. II. F. 24. pr. II. F. 40. SCHIL T. Cod. Jur. Alemann. Feud. c. 15. §. 5. Quamvis illud certum sit, repetitam hanc inuestituram non amplius, vt olim, vim *vera collationis* habere, nec vasallo jus aliquod nouum largiri, sed tantum illud, quod legitima successione jam obtinuit, conseruare, fouere ac confirmare, & propterea vltra habendi conditionem nullatenus extolli posse. ROSENTHAL. de Feud. c. 6. concl. 68. n. 1. TIT. Jur. priv. L. XI. c. 18. §. 18. Dn. LVDEWIG. c. 1. c. 3. §. 5.

§. VII.

Quando autem vel quoties renovationis petitio Vasallo incumbat, illud vel ex pactis inuestituræ adje-

B

ctis

At vel ex legibus cuiusque loci sive scriptis sive non
 scriptis dijudicandum est. Nonnunquam enim ex
 speciali conuentione inter dominum & vasallum inita
 hic certo tempore e. g. quolibet decennio præterlapsio,
 imo aliquando ad omnem domini requisitionem feu-
 dum denuo recognoscere tenetur. STRVV. Synt. J.
 Feud. C. 10. §. 1. n. 5. ANTON. disp. feud. §. 2. lit. c.
 p. 212. Interdum renouationis petitio eo tantummo-
 do casu necessaria est, si persona vasalli mutata fuerit,
 prout id moribus Gallicis & Scoticis obtinere testatur
CRAGIVS in *Jur. feud.* l. 2. t. 12. §. 2. p. 398. Alibi econ-
 uerso inuestituræ nonnisi domino mutato repeti de-
 bent, quod in Pomeraniæ feudis olim obseruatum
 fuisse scribit Dn. LVDEWIG. de prorogat. inuist. c. 3.
 §. 4. lit. q. At secundum jus feudale Longobardicum
 utroque casu, tam si dominus, quam si vasallus sive mor-
 te, sive alienatione feudi, sive alio modo muretur,
 inuestituræ renouatione opus est. v. I. F. 22. pr. ibi: à
 filio vel successore Domini sui. it. vel post mortem patris sui
 II. F. 24. pr. ibi: Dominu suo mortuo, it. Vasallus decesserit.
 II. F. 32. ibi: à domini successore vel vasallo successori. Id
 quod etiam Jure feudali Saxon. art. 22. §. 2. nec non
 Alemannico C. 43. 48. 93. cautum legitur. Rationes
 hujus dispositionis haec communiter à DD. adferuntur:
 1.) ut nouus Dominus à Vasallo, vel a nouo vasallo domi-
 nus debito honore excipiatur, cum petitio inuestituræ
 pro signo reuerentia, ad quam domino exhibendam va-
 sallus obstrictus est, reputetur. 2.) Ut noui domini jura à
 vasallo, nouique vasalli jura à Domino agnoscantur, nec
 longinquitate temporis, ignorantia alioue modo ob-
 feu-

surentur. 3.) Ut, quia in feudis regulariter fides jurato promittitur, juramentum fidelitatis, quod non tantum respectu jurantis, verum etiam ejus, cui juratur, saltem quoad obligationem animæ & crimen perjurii personale esse censetur, mutato domino vel vasallo repetatur, idque etiam locum habere volunt, licet Vasallus tam pro te, quam successoribus suis vel etiam Domino, ejusque successoribus jurauerit. v.
 STRVV. Synt. J. feud. C. 10. §. 1. n. 2. it. § 5. n. 3. ibique L. B. de LYNCKER. in Analeß. ROSENTHAL.
 de feud. C. 6. concl. 29. n. 6. sequ. & concl. 35. n. 1. 2.
 Denique 4) peculiari ratio utilitatis heic tubest, cum passim usi introductum esse constet, ut, renouata investitura, in nonnullis casibus secundum consuetudinem cujusque loci certum laudemium domino praestetur, aliæque sportulæ Officialibus soluantur, quam causam prioribus addidit TITIVS im deutschen Lehnrecht. C. 25. §. 5.

§. VIII.

Cum igitur secundum dicta §. præc. etiam *Dominus mutato*, quod fere utplurimum fit morte ejusdem, inuestituræ renouationem rogare vasallum oporteat, saepè autem contingere possit, ubi præsertim Primo-genituræ, &c. quod hinc profluxit, Apanagii jus in familia quadam introductum non est, ut Dominus plures nanciscatur successores, æquali omnimodo jure gaudentes: hinc paulo curatius inquirendum est, à quoniam, casu tali emergente, feudi renouatio petenda sit?

Ante omnia autem dispiciendum: Vtrum coheredes aliquam inter se diuisionem instituant, ita ut cuius eorum certa terrarum portio & eo pertinentia feuda vel alias singulis successoribus certa feuda certique vasalli assignentur, nec ne? Priori casu quilibet vasallus ab eo tantum, ad quem directum dominium ejus, quod tenet, feudi ex facta diuisione peruenit, inuestituræ instaurationem petere, nec nisi ei vasallagium præstare tenetur. SCHRAD. *Tract. feud. p. 6. c. 1. n. 13.* Posteriori casu, quando videlicet diuisio eo, quo directum est, modo non instituta, sed defuncti successores terras ad se deuolutas cum juribus annexis pro partibus indiuisis possident, consequenter etiam directum dominium commune habent, res non adeo expedita est, & ambigue admodum inter DD. disceptatur, vtrum tunc vasallus ab omnibus, an vero ab uno solum inuestituræ renouationem petere necesse habeat?

Alii prius simpliciter asserunt, atque ab omnibus & singulis domini demortui heredibus inuestituræ repetitionem rogandam, omnibusque sacramentum præstandum esse contendunt, eo quod omnes, in illo, quem presupponimus casu, æqualiter defuncto succedant, & ideo omnes atque singuli pro dominis habendi sint, quæ ratio tanti quibusdam visa est, vt vasallum, ab uno tantum feudum recognoscentem, beneficio suo à cæteris, pro illorum portionibus, priuari posse existimant. v. ROSENTHAL. *de feud. c. 6. concl. 38. n. 1. 2. & in not. l. a. b. H. PISTOR. l. 2. qu. 47. n. 19.*

n. 19. 20. FRANZK. l. 1. Res. 19. n. 17. ANTON. *Disp.*
feud. 8. *ib.* 2. p. 209. Alii e contrario censent, non ni-
si ab vno feudi renouationem petendam, nec nisi vni
fidelitatem faciendam, ac proin vasallum quidem ob-
strictum esse, vt omnes defuncti successores tempe-
stive adeat, eosque demisse imploret, velint v-
num inter se, qui nomine omnium inuestituram
conferre debeat, constituere: si tamen Domini illud
recusent, vel inter se conuenire nequeant, tum vero
ipsum vasallum aliquem ex illis eligere posse, à quo
inuestituram accipiat & cui juramentum vice o-
mnium præstet. v. JVL. CLARVS. *Feudum.* qu. 49. n.
n. ROSENTH. c. concl. 38. n. r. 6. §. in not. lit. g. H.
PISTOR. c. l. n. 22. Alii denique diuersas has opinio-
nes in consonantiam reducere allaborantes putant,
vasallum non teneri à singulis Dominis separatim feu-
di renouationem petere, sed tantum ab omnibus con-
junctim, adeoque Dominos vel omnes simul præ-
sentes inuestituram impertire, vel vnum eligere
debere, qui omnium loco vasallum inuestiat & ab
eo juramentum fidelitatis recipiat. H. PIST. c. l
n. 24. VVLTEJ. *de Feud.* L. 1. c. 7. n 94. ANTON.
Disp. Feud. c. l. CRAG. *J. Feud.* L. 2. t. 12. §. II. p. 406.
STRVV. *Synt. J. F.* c. 10. §. 2. n. 1. Verum cum ex jam
memoratis opinionibus prima juri feudalii diametro
& in vniuersum, tertia vero ex parte adhuc repu-
gnent: ideo sententiae eorum, quos medio loco lauda-
vimus, subscribere non dubitamus, vtpote quæ &
validioribus rationibus sustinetur, & juri nostro feu-
dali apprime conuenit.

Nam i) diserte sancitum est in II. F. ss. §. i. ut
Vassallus pro uno feudo plures dominos habere non compellatur. Quæ verba satis euidenter innuunt, Vasallum jure suo postulare posse, vt vnu ex domini defuncti successoribus, cui fidelitas loco omnium præstanda sit, designetur, neutiquam vero pati teneri, vt plures ipsi pro uno feudo domini obrudantur. Noui, dissentientes heic excipere, textum illum de voluntaria dominii directi alienatione solum agere, si scilicet dominus, partem juris sui voluntarie alienando, partem vero retinendo, ipsum feudum diuidere & ita vasallum in plures dominos distingere velit: Secus vero esse, quando ex legis dispositione & successio-
nis necessitate plures heredes æqualiter admittendi sint, cum de hac necessaria alienatione capitulum i-
stud exaudiri nequeat. Sed hæc frustra dici, & ex i-
pso textu, qui indubie agit de casu, quo ex successio-
ne feudum ad plures peruenit, manifeste refelli, du-
dum ostendit ROSENTHAL. c. l. n. 7. Majorem spe-
ciem habet, quod ab aliis reponitur, textum de hoc
nostro casu minime loqui, sed potius de altero, si sci-
licet coheredes diuisionem inter se instituere cupiant:
eam, ajunt, ab imperatore quidem intuitu feudorum
non regalium ibidem permitti, siuial tamen modum
certum præscribi, secundum quem ita fieri debeat, vt
vasallus pro uno feudo plures dominos habere non
compellatur: veluti si domini ipsum feudum in
partes quasdam discerpere ac vasallum adigere ve-
lint, vt aliam partem ab uno ex coheredibus, aliam
ab

ab altero peculiariter recognoscatur, & cuius speciale vasallagium praestet; Inde vero ad nostrum casum, quo plures coheredes dominium directum commune habent, & pro induiso retinent, nihil inferri posse, cum illi omnes instar unius domini habeantur *arg. l. 16. de Condit.* & demonstrac cæteroquin ex aliis textibus Juris feudalnis e. g. *II. F. 38.* sufficenter constet, quod quis plurium dominorum communis vasallus esse queat. v. STRVV. *obs. Feud. ad c. XI. §. 5 p. 63.* Equidem non diffiteor, in allegato textu de diuisione feudorum non regalium potissimum tractari: interim tamen cum Imperator hac occasione regulam generalem proponat, ac in vniuersum jubeat, ut vasallus plures pro uno feudo dominos habere non compellatur, non video, cur haec verba præcise ad casum factæ diuisionis restringenda, nec ad nostrum pariter referenda sint. Sane si diuisio inter dominos facta vasallo præjudicare aut ipsi plures dominos obtrudere non debet: eadem æquitatis ratio prohibebit, quo minus illud fiat, si domini in communione adhuc persistunt, siquidem illa ipsa pene incommoda, quæ ex diuisione, præfato modo instituta, in vasallum redundant, procul dubio etiam altero casu fese exserent. Utut enim, vasallo omnibus dominis coniunctim & ynico actu fidelitatem præstante, ii omnes instar unius domini esse videantur: mox tamen, uno alteroue ex iis cum liberis decedente, dispalescat, prætensam illam unitatem vere inanem esse & vasallum plures pro uno feudo dominos contra iuris feudalnis placita recognoscere teneri v. *infra* §. 17. neque

neque porro id nunc in quæstione est , an quis vasallus communis plurium dominorum esse posse , quod ultro fatemur , sed an ratione vnius feudi esse debet , id quod tantisper negamus , donec fortioribus rationibus contrarium demonstretur.

S. XII.

Deinde II) pro aserto nostro stabiliendo non leve argumentum suppeditat textus in II. F. 102. vbi ita disponitur : *Quod si dominus , a quo feudum tenebatur , diem suum pluribus heredibus relitatis obicerit . Vasalli nos coguntur fidelitatem pro eo feudo facere , nisi domini illud feudum primo partirentur , quoniam secundum jus feudi non debet quis duas fidelitates pro eodem feudo facere.* add. II. F. 77. Nec obstat , quod capitula hæc inter extraordinaria referantur , & sic ad decisionem controversiæ hujus allegari haud posse videantur ; nam satis jam evictum est ab aliis , capitula extraordinaria , ordinariis non contraria , sed hæc potius declarantia & magis illustrantia non minorem quam illa autoritatem habere. Rectissime nisi me omnia fallunt , iudicavit CVJACIVS ap. H. PISTOR. L. 2. qu. 13. n. 19. quod cum Jurisprudentiæ feudali nulla veterum prudenter scriptis indigentior sit , stultitiam suam prodant , qui capitula illa , à superiorum principiis non discrepantia , adhuc improbare sustineant.

S. XIII.

Non parum III) pro nostra sententia militat insinuatis illa , quam præ se fert , æquitatis ratio. Sollicite alias DD. regulam hanc & recte quidem inculcant , in ambiguis questionibus eam opinionem amplectendam esse , que

que jus partium, quoad ejus fieri potest, integrum atque it-
laeum conservat. Jam si sententiæ supra §. 10. recensi-
tæ inuicem comparentur, manifestum erit, nullam ea-
rum magis ex æquo & dominis & vasallis consulere,
quam hanc ipsam, quæ a nobis hucusque defensa est,
vt pote quæ dominis ita prouidet, vt simul vasallorum
jura obreri non sinat. Vasallus quippe dominos suos
tempestue adire, ac decenter implorare tenetur, vt
communi consensu, prout ipsis visum fuerit, vnum
inter se, qui jura directi dominii loco omnium exer-
ceat, constituant: quo factò licet electus *Pro-Domi-*
nus inuestituræ & alia solennia solus peragat, ipsum
tamen directum dominium in eundem solum, cæte-
ris inde exclusis, minime transfertur, sed potius cui-
uis ex reliquis coheredibus jus suum saluum perma-
net, vnde etiam iste *juris dominici administrator* solum
vocatur. v. ROSENTH. cit. concl. 38. lit. g. feudoque
aperto id non minus reliquis, quam *Pro Domino*, cui-
que pro sua parte cedit, teste EYBEN in *El. J. Feud.*
c. 8. §. 5. Quod si autem Domini Administratorem
ejusmodi juris dominici denominare detrectent, vel
etiam inter se dissentiant, tum verò non ægrè ferent,
si Vasalli ipsis ex eorum numero vnum eligant & ab
eo inuestituræ renouationem impetrant. Nam & ex
altera parte vasallis prospiciendum est, ne in enorme
præjudicium eorum inuestiturarum renouationes, fa-
tis sæpe molestæ & sumtuosæ in infinitum multipli-
centur, quod facile fieri posset, si vasallus ab omni-
bus inuestituram accipere cogeretur, prout ex infra
dicendis liquidius patescat.

Accedit IV) quod idem in Jure Teutonico feudali, tam Saxonico, quam Alemannico expressis verbis statutum sit. Jus Sax. Feudale art. 29. ita disponit. *Die mannen dürfen auch nicht denne von eime ihres herren sune ir gut entphan, al si ez in allen geligen daz muz aber der oberste herre bescheiden, an Welch ieren her si wisse, ob sich der belente herre darumbe nicht entweiset. i. e. Vasallus tenetur tantum ab uno filiorum Domini feudum recipere, licet omnibus sit collatum. Major autem Dominus tenetur solum ostendere a quo feudum recipient, si illi qui ab eo (scil. superiore) inuestiti sunt, de eo non concordant.* v. SCHILTER. ad Jus Alemann. Feud. c. 58. §. 8. Objicit quidem FRANZK. I. Res. 19. n. 36. illam Juris Sax. dispositionem vsu pratico receptam non esse, in cuius rei testimonium ad H. PISTOR. L. 2. qu. 47. n. 7. prouocat: sed is c. I. de nostro casu plane non agit, vti ex inspectione clarescit, dein in eadem quaest. n. 23. 26. & 28. ipse vsum practicum hujus constitutionis satis aperte agnoscit, vt adeo tanto minus de illo dubitari queat, quo certius alias est, adhuc hodie Jus Teutonicum valere, quatenus per contrarias sanctiones eidem non reperitur expresse derogatum v. HORN. jurispr. Feud. c. I. §. 32. circa f. ZSCHACKWITZ. Lehn-Recht p. 107. Similiter in jure Alemannico feudali idem confirmatur c. 58 §. 5. vbi: *Lott auch ein Herre me sune hunder yne denn einen so er stirbet die manz entphobent auch ir gut nut me denne von eime i. e. si Dominus plures filios relinquit. eo mortuo Vasalli non nisi ab uno eorum inuestitaram accipiunt.*

cipiunt. De cætero illud hic notari meretur, communiter quidem interpretes juris feudalis Longobardici existimare, qvod, si plures ejusdem directi dominii consortes *Pro-Dominum* constituere nolint, vel in constitutione ejusdem dissentiant, vasallo tum arbitrium eligendi competitat; at jure Teutonico hujus rei decisionem ad Dominum superiorem referendam esse, vti exc. art. 29. Jur. Sax. & in primis ex jur. Alem. c. 58. §. 6. dilucide appetet.

§. XV.

Tandem V) eandem sententiam vniuersales penè Germaniæ mores non obscurè comprobant. Ita enim vsu quotidiano seruari constat, vt vnum ex pluribus Domini heredibus, & quidem ex conuentionibus Familiarum illustrium plerunque Senior, jura directi dominii exerceat, investituram vasallis conferat, ac Codicillis eo nomine præstis, den *Lehn-Briefen*, suum solius sigillum apponat, atque de tali *Pro-Domino* vernacula lingua communiter dicitur, daß derselbe als der Welteste des Stammes die Lehnische Hand habe und trage. WEHNER. in *Obs. Præt. v. Lehnische Hand*. EYBEN in *El. J. Feud.* c. 8. § 1. Alicubi vocatur juris dominici Administrator, prout in illustri Familia Dnorum Comitum de Hohenlohe obseruatur, hoc modo: *Wir N. N. der lobl. Graffschafft Hohenlohe Senior und gemeinsamer derselben Lehnsherrlichkeiten Administrator telte Dn. WESTPHAL.* in *Quast. Feud.* f. s. c. 1. qv. 2. p.

323.

§. XVI.

Quamuis itaque per haec tenus tradita vasallus
C 2 non

non possit compelli, ut renouationem feudi à pluribus domini defuncti successoribus conjunctim petat aut impetrat: Nihilominus tamen istud nonnunquam etiam in Germania contingere, experientia docet. Etenim si quando Dominus feudi fatis fungitur, relictis pluribus filiis adhuc impuberibus nec in pactis Familiae determinatum est, quis ex iis jura directi dominii olim exercere debeat, tum sæpe communi omnium nomine à tutore vel tutrice inuestituræ renouatio peragit, sicuti non ita pridem in illustri Domo D. C. D. H. E. G. factum est, ceu ex breui testato, vasallis super facta renouatione feudi concesso, dem Lehnsschein, obseruaui, quod ita conceptum erat: Daz von der Hochgebohrnen Gräfin und Frauen Frauen N. N. des H. Römischen Reichs re. tot. tit. in Vormundschaft ihrer Herren Söhne, Herren J. H. Herrn C. C. und Herrn L. F. alterseits des H. R. Reichs Grafen zu re. Herr G. S. mit N. heute dato auf geleistete Pflicht gewöhnlicher massen würdiglich liehen worden, deswegen ist dieser Lehnsschein unter Vordruckung des Gräflich N. Canzeley-Secrets ausgestellet worden, signat &c. Aliquando etiam vasalli vel ex incuria vel ex alia causa inuestituræ renouationem ab omnibus simul petunt, eamque ab omnibus simul fieri patiuntur, & sic ipso facto in plures Dominos consentiunt, quo casu absque dubio plures Dominos postmodum ferre debent. ROSENTHAL. c. 6. concil. 38. n. 13. Ipse aliquando vidi breue testatum super renouatione feudi, à tribus fratribus Condominis simul facta, idque sequentis erat tenoris.

Dem-



Dennach bey den Hoch-Wohlgebohrnen Grafen und Herrn, Herrn F. Herrn H. und Herrn S. Gebrüdern, Grafen ic. tot. tit. Herr N. M. die Lehn über die in seinen Lehn-Brief befindlichen Stück heute acto würcklich empfangen, auch die gewöhnl. Lehns-Pflicht würcklich abgeleget: als ist ihm diese Lehn-Befanntniß unter dem Camzley-Secret ausgesertiget worden. Geschehen ic.

S. XVII.

Quodsi ergo tale quid eueniat, tum noua exsurgit quæstio: an vno ex pluribus dominis, à quibus quis coniunctim inuestituram impetravit, decedente, vasallus à superstibus feudi renouationem iterum petere teneatur? Distinguunt Dd. communiter, vtrum dominus demortuus liberos post se reliquerit, nec ne? Illo casu à liberis defuncti petendam inuestituram, iisque vasallagium denuo præstandum esse, tantum non omnes arbitrantur; dum enim illi in locum patris sui succedunt, dominus feudi saltem ex parte mutatur: & quia vis juramenti, quod defuncto ac reliquis dominis simul præstitum erat, morte illius haec tenus expirauit, liberis ejus denuo id præstari par est. Neque vasallus aliquam juste conquerendi causam exinde nanciscitur, cum sibi imputare debeat, quod jure suo non vsus sit, pluresque dominos semel admiserit. v. FRANZK. 1. Res. 19. n. 22. 23. STRVV. Synt. J. Feud. C. 10. §. 2. n. 2. HORN. Jurispr. Feud. c. 17. §. 10. Num vero & altero casu inuestituræ renouatio petenda sit, incertum est. Nemo hucusque, quod sciam, hanc quæstionem fusi pertractauit FRANZKIO in cit.

C 3

Res.

Res. 19. vbi primum rationes tam pro renouationis necessitate , quam contra eam adducit , deinde temperamento quodam adhibito utramque sententiam ita conciliare annititur , vt fidelitas quidem dominis superstitibus denuo juranda non sit , aliqua tamen declaratio a vasallo fieri debeat , quod ab illis pro parte domini defuncti ad eos deuoluta non minus feudum recognoscere velit , atque olim id a demortuo recognosset , annexa petitione , vt sibi e diuerso breve testatum communicetur . Quæ doctrina primo quidem intuitu non adeo iniqua appetet , cum neque juramenti iterationem , neque renouationis inuestituræ petitionem , sed aliquam tantum declarationem à vasallo exigere videatur . Verum enim vero si hujus declarationis indeolem aliquanto diligentius expendimus , euidentissime patebit , eam ex mente FRANZKII nihil aliud , quam ipsam inuestituræ renouationem inuoluere , prout ex allegata *Res. 19. n. 21. seqq.* clare elucescit : Vnde & ii , qui FRANZKIO assentantur , aliquam saltem petitionem renouationis inuestiturae hoc casu requiri existimant . v. STRVV. c. l. HORN. c. l. & in primis RHET. in I. F. 22. p. 412. & 453. vbi ingenue fatetur , declarationem istam nihil aliud esse , quam renouationem , & omnino intra annum & diem fieri debere . Cum vero hac sententia dura admodum & inhumana sit: Nobis & ad veritatem & ad æquitatem magis accedere eos persuasum est , qui feudi renouationem in hac specie necessariam esse simpliciter negant , quos inter STRYKIVM in Exam. Jur. Feud. c. 17. qu. 6. & ibi Du. & BEVST. in Annot. p. 206. TITIVM in J. Priu. L. XI.

(13)

XI. C. 18. §. 4. It. im deutschen Lehn-Recht C. 25. §. 7.
nominasse sufficiat.

§. XVIII.

Primam rationem in eo colloco, quod vnu-
quisque ex Condominis, à quibus conjunctim va-
sallus nouam inuestituram impetravit, eandem in so-
lidum contulisse censeri debeat. Id vero vix de-
monstrari potest dilucidius, quam si seorsim, quid
inuestituræ instauratio in se complectatur, pondere-
mus. Nimirum consistit illa 1) ex parte vasalli in
iterata fidei & seruitiorum promissione 2) Ex parte
Domini in juris, vasallo ratione feudi quæsiti, con-
firmatione. Fidei pollicitatio citra omnem dubita-
tionem pluribus Condominis in solidum sit, fatente
ipsomet FRANZKIO cit. Res. 19. n. 23. Idem dicen-
dum de seruitiis feudalibus, siquidem vasallus ad
eorum præstationem pariter singulis in solidum ob-
ligatus est, teste STRVV. in Synt. J. Feud. c. 12. §. 7.
n. 4. singulos itaque Condominos vicissim vniuer-
sum ac solidum jus vasalli in feudo, propter quod illa
præstari debent, agnoscere & firmare par est, præser-
tim, cum confirmatio ista non amplius ab arbitrio aut
gratia dominorum dependeat, sed juris necessarii sit,
neque jus Vasalli ex personis dominorum diuidi queat.
Atque adeo nulla ratio suppetit, quamobrem uno ex
pluribus condoninis, sobole non relictâ, decedente, à
superstitibus denuò inuestituræ renouationem peten-
dam esse statuamus.

§. XIX.

Præterea jam supra ostensum est §. 7. Inuesti-
turæ

turæ instaurationem non nisi *mutato domino*, vel vasal-
lo, secundum placita Jur. Feudalis desiderari. Qui-
verò in nostro casu dominum mutatum esse asserue-
rit? Eadem personæ, quæ vna cum defuncto inuesti-
turam vasallo jamtum concesserunt, adhuc supersunt,
neque noua in locum demortui condomini succedit,
vti in altero casu liberi in locum patris sui substitue-
bantur. Nec obstat, quod à dissentientibus regeritur:
Dominum tamen ratione partis ejus, quam defunctus
tenuit, quæque nunc ad Condominos deuoluta est,
mutari, adeoque hactenus noua recognitione o-
mnino opus esse. Nam pars illa demortui ex
communi interpretum doctrina tantum pro indi-
uiso ejus fuit, & jure quodam non decrescendi ad
reliquos pervenit, docente FRANZKIO cit. Res.
19. n. 7. & 32. quo casu nulla noua inuestituræ petizio-
ne opus esse nemo non fatetur. v. SCHRADER p. 6.
c. 1. n. 10. quandoquidem pars ista cæteris condomi-
nibus non vt noua portio obuenit, sed potius vt aug-
mentum, quod ad partes, quas illi pariter pro indi-
uiso habent, accedit, & cum his ita conjunctum esse
videtur, vt vna & eadem res intelligatur. KLOCK.
T. 2. Conf. 24. n. 16.

§. XX.

Quodsi porro rationes, quibus renouationes
inuestiturarum nituntur, & quas supra §. 7. retuli-
mus, ad nostram speciem applicemus, nullani earum
ad illam quadrare res ipsa loquitur. Prima erat, vt
nouus Dominus debito honore à vasallo exciperetur.
Atqui heic non adest nouus Dominus. Condomini
superstites isto honore jamtum excepti sunt. vasal-
lus

lus coniunctim ab iis inuestituram petiit, & ita satis testatus est, beneficio primi concedentis feudum, quod is nunc legitima est successione adeptus, majoribus suis obtigisse; Declarauit eo nomine gratum suum animum & ad omnem deuotionem, senioribus suis debitam, se obtulit. Quid igitur attinet, tale quid de nouo à vasallo fieri? Secunda in eo consistebat, ut dominus à vasallo pro tali agnosceretur, nec ejus jura obliterarentur. Sed illa recognitio jam facta est, neque potest intelligi, vnde vel minima obscuratio aut imminutio jurium dominicorum metuenda sit, licet, uno ex Condominis sine prole defuncto, à reliquis inuestitura non renouetur. Tertia ex ipsorummet dissentientium confessione cessat, cum juramentum fidelitatis hoc casu iterandum non esse, vltro concedant. Quin imo nec quartam heic locum habere, aut laudemium depositi posse, evincunt ea, quæ docet STRVV. in Synt. Jur. Feud. c. 10. §. 13. seq. CARPZ. P. 2. c. 39. d. 24. L. B. de LYNCKER. Decis. 1459. Solas ergo sportulas cancellariae præstari solitas adhuc vrge re quis posset: Vtrum autem hæc ratio tanti esse debeat, vt propterea solum vasallus ad renouationis petitionem compellendus sit, cordatioribus dijudicandum relinquo.

§. XXI.

Sed & sententiam nostram non parum corroborant ea, quæ §. 11. seq. edifferuimus, quod nimurum vasallus secundum Juris Feud. tam Longobardici, quam Teutonici scita nullo modo cogi queat, vt plures pro uno feudo dominos recognoscant. Ut ut ergo

D

in

in plures dominos ipso facto, ab omnibus scilicet conjunctim inuestituram recipiendo, consenserit videatur: Inde tamen minime præsumi potest, eum ita voluisse condominos istos recognoscere, vt toties quoque nouam inuestituræ petitionem facere indistincte debeat, quoties unus ex illis e vita excessit, cum ita futurum esset, vt pro vna inuestituræ renouatione, ad quam tantum obstrictus est, ad triplicem promiscue teneretur. Quin potius probabile est, vasallum communioctrina, *quasi omnes condomini instar unius habeantur, inductum fuisse*, vt cum nullum sibi exinde præjudicium imminere crederet, inuestituram ab omnibus impetraret.

S. XXII.

Nouum vterius præsidium pro assertione nostra constituit, quod in casu inuerso, si vasalli plures successores de feudo pro indiviso inuestiti sint, plerique DD. imo quidam ex ipsis dissentientibus adstruant, uno ex illis absque liberis defuncto, nullam inuestituræ renouationem à cæteris desiderari. Ita enim STRVV. *in obser. feud. ad c. 10. n. 2. p. 56.* diserte pronunciat: *Si feudum à pluribus simul pro indiviso possideatur, uno ex illis mortuo, portio defuncti ad superstites devolvitur, vel potius in eorum dominio simultaneo remanet, nec ratione hujus inuestituram petere vel renouare tenentur, quia possessores vasalli non mutantur.* add. EJVSD. Synt. J. *feud. c. 10. §. 3. n. 2.* SCHRAD. *p. 6. c. 1. n. 18. & quamvis HORNIUS in Jurispr. Feud. c. 17. §. 13. hac in parte dissentiat, atque a vasallis quoque in præfinito casu inuestituram requirat, vix tamen assensum m-*
retur,

(27)

retur, cum non solum Jus Saxon. Feudale art. 32. &c
Jus Alemann. Feud. c. 68. §. 3. communis sententiae
faueat, sed & praxis multorum locorum eandem non
obscure confirmet, prout de Lusatia inferiori, item-
que de Ducatu Anhaltino ipse cit. loc. testatur. Quæ
cum ita sint, manifestum est, eandem etiam de-
cisionem in nostro casu locum habere, quoniam do-
minus & vasallus ad paria judicantur, & dispositum
de uno correlatiuorum etiam de altero intelligi de-
bet. KLOCK: Z. 2. Cons. 6. n. 74. sq.

S. XXIII.

Atque ex his omnibus satis elucescit, vasallum
nullo modo felonie insimulari, vel saltem multâ qua-
dam affici posse, si uno alteroue ex pluribus, quos
agnoscit, condoninis sine liberis defuncto, nullam
inuestituræ renouationem denuo petiit, vel im-
petravit. Omisit enim illud, ad quod jure Feu-
dali non erat obligatus, vnde nec in dolo nec cul-
pa versatur, nec in contemptum Domini, cui cætero-
quin omnem reuerentiam atque honorem exhibet,
inuestituræ renouationem neglexit, sed sibi tantum
prospicere voluit, ne conditio sua, contra legum Feu-
dalium dispositionem, deterior redderetur. Quæ juris
proprii tutela tanto minus illi vitio verti debet, quod
experientia testetur, Dominos sapè jura sua ultra,
quam par est, in graue vasallorum detrimentum pro-
tendere conari, quod ne fiat, horum in primis tum in-
terest, si feuda sint exigua, rustica, tributis. aliisque o-
neribus obnoxia, vbi facile contingere posset, ut mul-
tiplicatis nimium inuestiturarum petitionibus, o-

omnia feudi emolumenta vasallis penitus subtrahentur. Applicari ergo huc potest, quod Dn. LVDEWIG. de Prorog. Inuest. c. 5. §. 5. licet alio fine monet: Quod indulgentiorem facilioremque hic esse oporteat Dominum, si animo secum reputet, expendatque, feuda hodie conferri successione, olim in hoc genere feudorum nulla opus fuisse inuestituræ alicujus renouatione. In multis Provinciis illam negligi adhuc. Neque amitti hodie feuda ob neglegatum inuestituræ, nisi conjunctum cum dolo, contemtuque domini. Feuda Germanie esse emitia, esse oblata, inuesturas olim gratuitas fuisse, cætera.

S. XXIV.

Pergo nunc ad aliam quæstionem, à priori pauculum diuersam: An si fratres antea in communione viventes, conjunctim inuestituram fecerint, postea autem diuisionem instituant, noua iterum inuestiturae petitione opus sit? quam quæstionem intricatajam appellat VVLTEJVS de Feud. L. 1. c. 7. n. 97. Nobis negotiua verosimilior videtur, cum pleraque, quæ haec tenus disputata sunt, ad hunc etiam casum transferri queant. Dissent. STRVV. in Synt. J. Feud. c. 10. §. 2. n. 4. CARPZ. p. 2. c. 45. d. 26. & plures alii qui nullam quidem juramenti fidelitatis repetitionem, sed inuestituræ tamrenouationem ex dupli potissimum ratione exigunt, 1) quod diuisio sit species alienationis arg. l. 1. C. Commun. vtr. judic. 2) quod in locum plurium succedat unus Dominus feudi, cæterorumque partes in unum transmittantur. Verum licet diuisio alienationi nonnunquam assimiletur, & vicem emtionis obti-

obtinere dicatur. c. l. i. quia tamen per eam hunc
dominium diuidentibus non acquiritur, sed id, quod
antea coherendum pro indiuiso erat, pro virilibus por-
tionibus inter eos distribuitur, consequenter personæ
possessorum revera non mutantur, sed certius potius
declarantur: vnuisque perspicit, illam pro alie-
natione, quæ renouationis necessitatem inducat, haben-
dam non esse; vid. FRANZKIVS de *Laudem.* c. 8. n.
43. sqq. VVLTEIVS de *Feud.* l. i. c. 10. n. 88. p. 646.
Deinde quod ad alterum dubium attinet, illa ipsa ra-
tio, ex qua STRVVIVS c. l. necessitatem nouæ jura-
menti præstationis negat, etiam ad inuestituræ re-
nouationem commode applicari potest, quia videlicet
ab hoc ipso Domino, cui feudum in diuisione cessit, an-
tea jamtum petita & impetrata fuit: & licet is non solus,
sed vna cum cæteris Condominis eandem contulerit,
tamen diuisione facta cæteri jura sua hoc ipso re-
mittunt ita, ut ea in posterum non illis, sed soli, cui
feudum obuenit, debeantur. Reliqua, quæ à prælau-
datis Auctoribus in contrarium mouentur, ex ante
dictis facile eneruari queunt, cum primis quod in casu
inuerso, si plures vasalli simul primum inuestiti fuerint,
postea vero à communione, diuisione instituta, reces-
serint, noua inuestituræ petitione opus non sit, nisi
quod jure Saxonico illa pro conseruatione juris suc-
cedendi fieri debeat conf. SCHILTER. ad *Jus Feud.*
Alemann. c. 65. §. 1.

S. XXV.

Sicuti vero ea, quæ hucusque commentati sumus.
D 3 Juri

Juri feudali communi, tam Longobard. quam Teutonico omni ex parte conuenire putamus: ita non diffitemur, si qua forte consuetudo particularis alicubi in contrarium introducta & legitimè probata sit, vasallum ad eam obseruandam omnino adstrictum esse; Neque enim animus nobis est, juribus ejusmodi particularibus aliquatenus detrahere, quippe qui eo solum allaborauimus, ut quod in casibus memoratis, satis nodosis & impeditis, secundum LL. communes feudales obtinere debeat, breuiter enuclearemus. Quodsi vero præter opinionem à veritate nonnihil deflexerimus, L. B eo facilius veniam nobis dabit, quo paratores sumus, ad ea, quæ minus recte dicta fuerint, emendanda & meliora sequenda. De cætero Deo T. O. M. pro innumeris in nos ad hunc usque diem collatis beneficiis immortales agimus gratias, illumque ut rebus nostris posthac quo-
que clementer adesse velit, demisse
veneramur.

F I N I S.

COROLARIA.

I.
*Juramentum in litem veritatis non da-
tur.*

II.

II.

*Cumulationes actionum juri Civili quidem
incognitæ, at iure Canonico approbatæ sunt.*

III.

*Possessorium causarum Ecclesiasticarum non
indistincte in foro seculari tractari debet.*

IV.

*Solo Possessorio instituto, index in petitorio
etiam pronuntiare potest, si de hoc sufficienter
constat.*

V.

*Dinizio actionum in bona fidei & stricti
juris hodie nullius usus est.*

VI.

*Legata ad pias causas absque ullis testibus
subsistunt, modo de Voluntatis certitudine nul-
lum dubium supersit.*

VII.

*Mater usum fructum legitime liberis ne-
cessario relinquendæ, patri adimere potest.*

VIII.

*Exceptio Excusionis etiam tertio hypothecæ
specialis possessori competit.*

IX.

*Repressalia, cæteris paribus, etiam inter
Statutus Imperii locum habent.*

X.

*Status Imperii vi Superioritatis Territoria-
lis etiam contra jus Communè Leges insuis Ter-
ritoriis ferre possunt.*

XI.

*Jus legitimandi etiam Statibus Imperii vi
Superioritatis Territ. competit.*

XII.

*Jus legitimandi à Comitibus Palatinis ini-
tis Proceribus in eorum ditionibus exerceri non
potest.*



Erfurt, Diss., 1721/22

ULB Halle

3

001 585 339



56

VD18



B.I.G.

Farbkarte #13

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

8
7
6
5
4
3
2
1
Inches
Centimetres

1722 17^a
IO INAUGURALIS JURIDICA
DE EO
JUSTUM EST
NOUATIONEM INQUESTI-
CASU, QUO DOMINUS FEUDI
RELICTIS SUCCESSORIBUS
DECESSIT,

QUAM
TE DEO TERR OPTIMO MAXIMO,
CO UNIVERSITATIS RECTORE,
DISSIMO ET PERILLUSTRI DOMINO,
DOMINO

ACHIMO HAHN,

COPO METELLOPOLITANO,
pi & Principis Electoris Moguntini per Thuringiam, Hasiam &
ous Vicario Generali, Ejusdemque Archi-Episcopalis Curia
theologiae & Juris Veriusque Doctore, Protonotario Apostolico,
Ecclesiasticorum Collegiarum ad Gradus B. M. V. & ad S. Joannem
elective Scholastico, Canonico Capitulari, & reliq.

AMPLISSIMI JCTORUM ORDINIS

PERANTQUA HIERANA

O LICENTIA

UTROQUE JURE HONORES ET
DOCTORALIA RITE CAPESSENDI
DÆ ERUDITORUM DISQVISITIONI
COLLEGII MAJORIS, HORIS CONSUETIS
SUBMITTIT

FRIEDER. SCHORCH,

Erfordens.

atis Senator, & Reu. Ministerii Evangel. Assessor.
XXVIII. MAJ. ANN. M. DCC. XXII.

IAE, Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.

